



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An Deus sit infinitè perfectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

distinguuntur ab omni creatura, & fiunt formaliter Divina: sic quoque ajunt, risibile, etiam considerandum ut humanum, tantum dicere metaphysicam connexionem, (quæ quidem reverà est identitas physica) cum rationali. In forma vel respondeo ad mentem priorum neg. conseq. ad prob. dist. ant. debent distingui distinctione formali, seu præcisione mutua. neg. ant. non mutua. conc. ant. & neg. conseq. vel juxta posteriores, qui fortè melius sentiunt, neg. ant. quod non probatur.

120. Ad primam confirmationem vel nega. ant. & dic. esse tantum metaphysicè connexa: vel, si antec. concedas cum Derkennis, nega. conseq. ad prob. cum eodem Auctore distingue maj. essentia divina debet esse communis tribus adæquate sumpta, neg. mai. adæquate sumpta. conc. mai. & distincta proportionaliter. min. nega. conseq. Explicationem hujus distinctionis, sed adhuc satis difficilem, potes videre apud hunc Auctorem de *Trinit. disp. 2. n. 10*. Expeditior est responsio prior. Ad 2. confirmationem neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. ex modò dictis. Quod additur de inaccessibilitate tanquam aseitate propria Paternitati, est extra rem; nam duplex est aseitas: una absoluta, per quam excluditur principium omne productivum alterius naturæ, quæ est in sensu physico communis etiam Filio, & Spiritui Sancto: altera relativa, per quam excluditur etiam principium ejusdem naturæ, quæ est propria Patri: non tamen constituit absolutam essentiam DEI.

121. Ob. ultimò. Definitio DEI (de qua n. 100.) *Sufficientia adæquata habendi omnem perfectionem simpliciter simplicem*: proponit DEUM ut actualiter perfectissimum, nec tamen per modum cumuli, vel plenitudinis, formaliter compositum, vel ex omnibus perfectionibus constitutum; quia perfectiones non ingrediuntur definitionem ut partes, sed se habent tantum ut termini: ergo hæc definitio, tanquam conceptus perfectior, & DEO dignior, est præferenda. Similia ferè dici possent de altera P. Ulloæ, ibidem adducta: *Eus fruens negativè ac positivè omni perfectione pura*. Resp. etsi hæc definitio evitet aliquas difficultates aliis objici solitas, non propterea videtur nostræ præferenda; nam 1. Nostra est longè clarior, cum illa involvat terminos satis obscuros, nempe Perfectionem simpliciter simplicem, de quorum intelligentia docti adhuc disputant: nec videtur ea obscuritas primæ statim definitioni miscenda: sed nec sine his terminis stat bonitas definitionis hujus, cum DEO non conveniat omnis alia perfectio. 2. Nostra est conformior Patribus citatis. n. 103. & 104. qui Divinam naturam simpliciter definiunt *Qui est*. quæ verba non sufficientiam adæquatam habendi omnem perfectionem, sed tantum Aseitatem significant. ita sanè S. Hieron. in ep. ad Ephef. c. 3. explicat illud Exod. 3. *Ego sum qui sum*. de existentia à se, non de sufficientia &c. De eadem Aseitate sola loquuntur alii Patres, quorum verba locis citatis adduximus, quæque, nisi valde torqueantur, de illa sufficientia accipi nequeunt.

Nec dicas, S. Damascenum, & ex eo S. Thomam dicere, illud *Qui est* comprehendere in se pelagus substantiæ infinitum: Respondetur enim, non comprehendere metaphysicè vel formaliter acceptum; aliàs diceret formaliter cumulum

omnium perfectionum (nam quid est pelagus, nisi cumulus aquarum?) quod nec hi SS. Patres, nec isti adversarii volunt: sed tantum comprehendere physicè acceptum, hoc est: quod DEUS, qui definitur *Qui est*, sit physicè tale pelagus: & sic S. Damascenus optimè componitur cum aliis Patribus: quæ conciliatio semper est procuranda. 3. Ista sufficientia non videtur esse prædicatum metaphysicè primum, ex quo alia à priori inferantur; nam ex ea tantum inferuntur à subsistendi consequentia: è contra ex ente à se omnes tandem perfectiones tanquam ex radice metaphysica inferuntur, & probantur à priori; quia Aseitas est radix exigitiva, & formaliter quali emanativa omnium perfectionum: ex qua etiam debet probari ipsa sufficientia illa adæquata (nam non potest probari nisi ex Aseitate) dum è contra Aseitas independentè ab illa sufficientia abunde demonstratur. Displicet quidem Adversariis, quòd Aseitas, eò quòd non formaliter, sed tantum radicaliter dicat alias perfectiones, DEUM, non quasi jam actualiter perfectissimum, sed tantum potentialiter talem proponat: sed inprimis videtur etiam ipsa sufficientia (quæ non formaliter dicit perfectiones, sed tantum connexionem vel identitatem cum ipsis) non immediate ratione sui, sed tantum mediatè ratione terminorum, DEUM actualiter perfectissimum proponere. 2. quidquid de hoc sit, nostra definitio proponit DEUM perfectissimum in linea seu ratione essentia, quamvis non in aliis lineis: sicut intellectus & voluntas dicunt DEUM perfectissimum in linea principii cognoscitivi & volitivi, non autem in linea actû cognoscentis, vel volentis. Ex qua paritate habetur, non esse indecentem conceptum, qui DEUM repræsentat aliquo modo tanquam potentiam, præsertim activam, aut quasi emanativam, tantum formaliter, aut metaphysicè talem. Imò hoc spectat ad lineam definitionis, quæ non debet omnia prædicata definiti exprimere, sed à quibusdam præcindere. Sic S. Thomas in 1. dist. 7. q. 1. a. 1 ad. 1. ait. *In DEO est omnino idem re essentia, potentia, & operatio, sed differunt tantum ratione*. Ex quo tamen non sequitur, DEUM concipi ut imperfectum, sed tantum concipi imperfectè. Itaque non videtur recedendum à longè communius recepta definitione longè clariore, captu faciliore, & communissimè adhiberi solita in discutiendis aliis quæstionibus de DEO, & perfectionibus Divinis.

ARTICULUS III.

An DEUS sit infinite perfectus.

122. **P**erfectio communiter dividitur in mixtam, simpliciter simplicem, & simpliciter talem. *Perfectio mixta* dicitur illa, quæ habet adjunctam imperfectionem; tales sunt potentia ambulandi, scribendi &c. quæ licet bonæ sint, quia tamen secum ferunt motum, & fatigationem, non sunt undequaque perfectæ. *Perfectio simpliciter simplex* ex S. Anselmo in *Monologio* c. 14. dicitur: *Quæ est melior ipsa, quam non ipsa*: intellige infinitè; quia non tantum debet esse melior, quam ejus negatio; hoc enim competit etiam perfectioni mixtæ: sed debet esse melior, quam omnis perfectio, cum ipsa incompositibilis,

fibilis, vel ei non identificabilis. Tales perfectiones sunt prædicata spiritus, viventis, intelligentis &c. quæ meliora sunt, quàm eorum opposita, scilicet materialis, inanimati &c. *Perfectio Simplex*, seu simpliciter talis est, quæ nullam involvit imperfectionem; non tamen est melior, quàm sint aliæ cum ipsa impossibiles.

123. Difficultas hæc est circa Relationes Divinas. Quidam negant, eas esse perfectiones; alii negant, esse simpliciter simplices; quia Paternitas e. g. non est melior, quàm Filiatio cum ipsa inidentificabilis: unde ajunt, eas Relationes esse perfectiones simplices, vel simpliciter tales: alii tamen asserunt, eas esse perfectiones simpliciter simplices, & explicant illud *non ipsa*, ut significet omnimodam impossibilitatem, vel exclusionem omnis identitatis etiam in tertio, quæ non datur inter Paternitatem, & Filiationem in Divinis. Sed quidquid sit de his, videntur saltem illi, qui tenent, terminationes contingentes actuum Divinorum contingentium esse perfectiones, debere asserere, quòd istæ non sint perfectiones simpliciter simplices; nam volitio hujus mundi non est melior, quàm fuisset nolitio, si DEUS hunc mundum noluisse: nec tamen istæ duæ sunt ullo modo identificabiles: nisi fortè reponere velint, datâ unâ alteram necessariò omitti, adeoque non esse perfectionem (cùm in nihilo suo maneat) & consequenter oppositam esse meliorem.

124. Jam non quaritur, an DEUS sit ita perfectissimus, ut involvat perfectiones etiam mixtas, & quidem formaliter; nam, cùm istæ secum ferant imperfectiones, & plures inter se contrariæ sint, non possunt in unum, & perfectissimum ens convenire: sed quaritur, an DEUS omnes perfectiones simpliciter simplices, vel simpliciter tales contineat formaliter, mixtas autem eminenter, id est, demptis imperfectionibus.

125. Dico. DEUS est infinite perfectus, seu habet omnes perfectiones vel formaliter, vel eminenter. ita omnes Catholici, imò omnes paulò prudentiores etiam Ethnici. Et in primis Scripturæ hoc in pluribus locis asserunt. *Baruch. 3. v. 25. Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. Psal. 144. v. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis &c.* Idem ubique clamant SS. PP. ex quibus S. Dionysius, de *Divinis nominibus* c. 5. ait: *DEUS non quoquo pacto est ens, sed simpliciter, & incircumscripte totum in se esse pariter ambit.* Plura vide apud Lessium *De perfectionibus Divinis* l. 1. c. 1. Ex quo unanimi sensu Patrum etiam habetur, Scripturas debere hic exponi de infinite rigoro- se accepta, quamvis aliquando etiam in Scripturis terminus *Infinitem* minùs rigoro- se accipiatur.

126. Probatur conclusio ratione. Omnis perfectio possibilis vel est creata, vel est increata: utramque habet DEUS, vel formaliter, vel eminenter: ergo habet omnem perfectionem possibilem: ergo est infinite perfectus. ultima consequentia probatur ex eo, quòd, cùm perfectiones creatæ sint syncategorematicè possibiles infinitæ, si DEUS istas, & præter has etiam habeat omnes increatas, & quidem categorematicè, seu actu, utique debeat esse infinite perfectus. Nec possibilitas infiniti syncategorematici creati in perfectione prudenter in dubium

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

potest vocari; cùm ex una parte nulla implicancia possit ostendi, & ex altera parte omnes Auctores: imò omnes, qui DEUM verum agnoscunt, etiam omnipotentem agnoscant, & Scripturæ ubique omnipotentiam adstruant: quæ ratio utique sufficit ad hanc propositionem theologice probandam, prob. jam mi. Perfectio increata non potest dari per identitatem in alio, quàm in DEO: insuper debet necessariò existere, utpote ens necessarium, adeoque cum aliquo identificari: ergo cum DEO; adeoque debet huic formaliter inexistere. Jam perfectio creata debet omnis à DEO, vel actu produci, vel saltem posse produci: ergo debet eam habere eminenter, prob. conseq. Omnis causa principalis debet præcontinere effectum vel formaliter vel eminenter; cùm dare non possit, præsertim principaliter, quod non habet. Hinc D. Dionysius, de *Divinis nominibus* c. 5. rectè ait de DEO: *Nam profecto non istud quidem est, illud verò non est, neque alicubi est, alicubi non est; sed omnia est, ut omnium causa.* Dixi eminenter; quia formaliter eas habere non potest, utpote mixtas imperfectionibus, & sibi contrarias.

127. Confirm. DEUS est ens à se: ergo est illimitatus, seu infinitus in perfectione. prob. conseq. Non est limitatus à causa, neque à se: ergo, 1. pars ant. est clara; quia non habet causam; ubi obiter adverto, effectum dici limitatum à causa, non quòd hæc producat effectum in minore perfectione essentiali; cùm enim essentia sint immutabiles, hoc nequit causa facere: sed quòd loco effectus perfectionis producat minùs perfectum. prob. jam 2. pars ant. Ens, quod est à se, seu non habet causam, non est limitatum à se, vel à sua natura; quia ipsa natura talis entis est illimitata: id quod ex lumine naturali omnes, qui agnoscunt ens à se, admittunt; nam, quodocunque occurrit ens limitatum, statim in ejus causam naturaliter inquirimus, nec dubitamus ens limitatum etiam esse causatum. 2. Si ens à se posset esse limitatum, posset quis adstruere plurima entia à se; imò Philosophi, quando occurrunt effectus mirabiles, quorum causa difficillimè assignatur, possent dicere, eos esse à se, quod esset absurdum. Tandem si ens non est limitatum quoad existentiam, sed habet hanc perfectionem à se, non est ratio, cur non habeat à se etiam alias perfectiones, quas à se haberi non est adeò difficulter perceptibile.

128. Ex hac conclusione, ejusque probationibus inferitur 1. DEUM necessariò esse æternum; nam cùm sit ens à se, est ens absolute necessarium; si enim aliquando non fuisset, nec à se, nec ab alio postea esse potuisset: non ab alio; quia sic non esset amplius ens à se: non autem à se; quia, ut rectè Derkennis *disp. 1. de DEO. c. 2. n. 34.* quod non semper est, sed transit à non esse ad esse, debet per aliud determinari. Certè, ut ait Arriaga *Disp. 2. sec. 4. n. 33.* videtur ex terminis imperceptibile, quòd aliquid à se ipso incipiat de novo existere, nec est ulla assignabilis ratio, cur non antè extiterit: & ipsa res nondum existens non potest cognoscere tempus, quo velit incipere. Quòd si DEUS necessariò existit ab æterno, etiam necessariò in æternum existet; nam sicut habet à se primum existere,

D

ita

ita habet, ut ita loquar, conservari, nec indiget alio. Et sanè ridiculum esset dicere, quòd aliqua creatura possit destruere ens à se, & quidem infinitè perfectum, adeoque infinitæ etiam potentia, & per quod omnia conservari debent.

129. Infertur 2. DEUM esse immensum, adeoque omnibus rebus intimè præsentem; nam sicut nasci in tempore est imperfectio (qua ratione etiam probatur DEUS esse æternus) ita etiam est imperfectio constringi loco: econtra esse determinatum ad hoc, ut, ubi aliquid pro ulla temporis differentia, vel quacunque providentia existit, etiam ipse adsit, est perfectio possibilis, sicut esse semper: consequenter non debet DEO negari, tanquam illi, cui inest omnis perfectio possibilis ex n. 126. Accedit, quòd absurdum sit dicere, creaturam alicubi posse existere, ubi non possit existere DEUS: atqui ubique potest aliqua creatura existere: ergo: si autem DEUS potest ubique existere, actu ubique est; cum mutari non possit, ut paulò post dicemus; quare quando DEUS dicitur habitare, accedere, recedere, & similia, tropicè ab omnibus intelliguntur. Hic tamen notandum, quòd nec æternitas DEI sit successiva (quam Derkennis *Disp. 4. n. 1.* vocat extrinsecam temporis) nec immensitas sit extensa; non enim DEUS durat per durationes sibi succedentes, nec præsens est variis locis per ubicationes distinctas, sed in hoc indivisibili *nunc* datur tota ejus æternitas, (quam Derkennis *loco cit.* vocat intrinsecam) & in indivisibili etiam spatio datur tota immensitas, de qua re legi meretur P. Ulloa *De DEO disp. 1. c. 3.* Hoc non capimus sensu, sed intellectu, quo etiam solo capimus, animam esse totam in capite, & totam in pede: quamvis hæc paritas non sit omnimoda; cum ubicatio, vel unio animæ cum capite distincta sit ab ubicatione, & unione cum pede: at præsentia DEI Romæ (quantum est ex parte DEI) eadem est, quæ Ingolstadtii &c.

130. Infertur 3. DEUM esse omnipotentem, atque omniscium; tum quia hæc perfectiones possibiles sunt; tum quia ab ente à se omnia producta debent suum esse habere, adeoque ipse omnia possibilia producere; si autem omnia debet producere, debet etiam conservare, & gubernare, adeoque omniscius esse, tum ut noscat, quid producat, tum ut omnia ritè ordinet, ac sapienter dijudicet: sed de hac omniscientia redibit iterum sermo, ubi de scientia DEI.

Infertur 4. DEUM esse spiritum, & non corpus, ut Sadducæi inter Judæos hæretici, & Anthropomorphitæ volebant; est enim uique major perfectio possibilis esse spiritum, quam crassum corpus; quare, quando homo dicitur factus ad imaginem DEI, non intelligitur de corpore, sed de parte nobiliore, scilicet anima intellectuali, & libera. Item quando in Scripturis DEO tribuuntur membra corporalia, manus vel pedes, imò etiam anima, omnes Patres, atque Doctores dicta illa metaphoricè sumunt.

Infertur 5. DEUM esse liberum; nam utique est magna imperfectio, ens intellectivum esse necessitatum ad omnia, & nullam ullius rei electionem habere, quæ si à rationalibus creaturis, multò magis removenda est à DEO: præsertim cum hic debeat esse sapientissimus Gubernator, adeoque

erga bene meritos liberalem se exhibere, alia autem pro libitu poenas, aut infligere, aut condonare. Accedit, quòd sine libertate explicari omnipotentia nequeat; cum enim plurima possibilia nunquam sit producturus (ut apud omnes est in confesso) si non omitteret illa liberè, sed necessariò, non foret omnipotens; quia non posset plura producere, quam actu produceret. Adde, quòd frustra, & ineptè DEUM rogaremus, ut hoc, vel illud nobis concedat; nam vel non posset, vel necessariò deberet concedere. Neque posset dici, eum suppositis precibus id necessariò facturum; nam hoc est contrarium persuasioni omnium, nec necessitas absoluta potest connecti cum liberis nostris actibus.

131. Infertur 6. DEUM simplicem esse, omnisque compositionis realis expertem. dico *realis*; nam de formali per conceptum, quæ non in DEO, sed tantum in cognitione nostra argueret imperfectionem, hic non sum sollicitus. prob. Ipsa realis compositio est quedam imperfectio, quæ excludi debet à perfectissimo DEO: ergo. Dein vel partes componentes essent entia à se, & DEUS foret aggregatum ex pluribus Diis: vel essent ens ab alio, & neque totum esset à se, ut patet ex n. 71. vel aliquæ partes essent à se, aliæ ab alio, & priores essent DEUS, vel Dii; reliquæ autem omnino superflua; cum sine ipsis haberetur infinita perfectio, seu DEUS, aut Ens à se.

132. Infertur 7. DEUM esse immutabilem, ut de se ipso dicit *Malachia c. 3. v. 6. Ego enim Dominus, & non mutor.* Ratio est; quia mutabilitas est perfectibilitas; motus enim est actus entis in potentia, seu entis perfectibilis, quale DEUS utpote ens perfectissimum esse non potest. Rursus novus motus vel deberet DEO jam existenti de novo identificari, quod est Chimæricum: vel deberet DEO uniri, & daretur compositio, non quidem ea, quam aliqui dicunt passivam, vi cujus substantia DEI ex partibus componeretur; sed tamen activa, vi cujus DEUS accidentaliter compleretur, seu perficeretur, quod DEO repugnat. Ex quibus intelligitur etiam ille modus loquendi Theologis communis, vi cujus dicitur DEUS purus actus exclusivus omnis potentialitatis: scilicet DEUS non est subjectam potens recipere ullam perfectionem per unionem, sed est mera, & omnis perfectio sua per identitatem. Quomodo autem sine mutatione DEUS possit uniri creaturæ, spectat ad tractatum de Incarnatione, ubi fusius exponitur, Verbum per unionem Hypostaticam nec perfici, nec mutari: itémque ibi exponitur, an & quo sensu Persona in Christo possit dici composita, de quo S. Thomas *in 3. disp. 6. q. 2. a. 3.* quomodo autem concilientur libertas, & immutabilitas DEI, inferius, quantum fieri potest, exponemus.

133. Infertur 8. DEUM esse unicum, quod Scripturæ innumeris locis tradunt. Hinc quando *Psal. 81.* aut *1. Cor. 8.* & alibi indicantur Dii multi: vel sermo tantum est de multitudine falsorum Deorum: vel intelliguntur tantum Superiores, aut Judices, qui propter præminentiam suam vocantur in Scripturis Dii, sed non in eo sensu, quo ipse DEUS. Idem in symbolo S. Athanasii clarissimè definitur: quin imò Pythagoræ, Trismegisto, Aristoteli, imò, teste Origene, Peripateticis, atque Philosophis, quin & paulò sapien-

sapientioribus Ethnicis fuit persuasum, ut fusè al-
latis eorum dictis probat Theophil. Raynaudus
in *Theologia Naturali* dist. 7. q. 1. a. 1. Hinc famo-
sum illud dictum Aristotelis 12. *Metaphysicorum*
ultimo sub finem, ubi ait: *Entia nolunt male guber-*
nari: non est bona pluralitas principatum: unus er-
go princeps. ubi non de gubernatione regni, sed
universi loquitur. Hinc illud Pythagoræ dicen-
tis, quoddam alter daretur DEUS, deberet sibi alte-
rum condere mundum, & in eo habitare.

134. Rationes etiam pro hac veritate, vel
ex immultiplicitate ultimi finis, vel entis summi,
ac perfectissimi, vel aliunde desumptas complu-
res videre est apud eundem Raynaudum *loc.*
cit. ego brevitas causâ unam solam adduco.
DEUS, utpote perfectissimus, debet esse liber-
rimus quoad gubernationem universi totius;
aliàs enim posset turbari, imò sæpe turbaretur
ordo bonæ gubernationis, si prudenter statuta
exequi non posset: ergo debet esse unus, prob.
conseq. Si essent duo, vel plures Dii, tunc vel unus
altero esset debilior, deberetque cedere, & non es-
set DEUS; quia imperfectus, & nullo modo omni-
potens: vel essent quoad omnia pares, & tunc
posset unus alterum impedire: quin imò uterque
à se invicem dependerent, adeoque imperfecti fo-
rent, & neuter omnipotens: facile etiam turbare-
tur, certè posset turbari ordo universi, dum posset
non convenire, atque probabilissimè etiam non
convenirent; quia non deberent, & liberi essent.
de qua re adhuc plura in objectionibus infra.
Hucusque allata prædicata DEI, atque etiam alia
clare definita habentur in Concilio Magno La-
teranensi sub Innocentio III. eaque definitio re-
fertur C. Firmiter de Summa Trinitate.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

135. **O**B. 1. Ut habet communis parâ-
mia, Bonum est, quod omnia
appetunt: atqui DEUM non
omnia appetunt; quia non omnia eum cogno-
scunt: ergo non est bonus, aut perfectus. Confirm.
1. Saltem non infinite appetitur: ergo non est in-
finite bonus. Confir. 2. Bonum est communi-
cativum sui: DEUS non est ita communicativus:
ergo, prob. mi. Ante creationem mundi se non
communicavit: ergo neque nunc se communi-
cat; quia est immutabilis. Confir. 3. Si DEUS est
bonus, tunc solus est bonus, ut dicitur *Marci* 10.
v. 18. ergo non est summum bonum; quia nul-
lum est bonum inferius. Resp. dist. ma. hoc est,
quidquid appetitur, est bonum. conc. ma. quid-
quid est bonum, appetitur ab omnibus. neg. ma.
& dist. proportionaliter mi. neg. conseq. in ea
propositione bonum est prædicatum, non subje-
ctum. Ad 1. confirm. om. ma. quia Deus à seipso
infinite suo modo appetitur, neg. conf. Ad 2. con-
firm. neg. mi. ad prob. neg. ant. quia se ab æter-
no communicavit ad intra communicatione per-
fectissima per identitatem. Dein om. ant. neg.
conseq. quia in tempore se communicat ad extra,
non per identitatem, sed vel per unionem cum na-
tura humana Christi, vel per productionem varia-
rum creaturarum sine omni mutatione; quia nullum
recipit motum. Ad 3. confirm. dist. ant. solus DEUS
est bonus à se, & per excellentiam, ac essentiam

suam. conc. ant. per participationem à DEO ac-
ceptam. neg. ant. & conseq.

136. **O**B. 2. DEUS est ens singulare, de-
terminatum, distinctum ab aliis: ergo est limita-
tum, & non infinitum. Confirm. 1. DEUS est prin-
cipium rerum omnium: sed principia seu semina
sunt imperfecta: ergo. Confirm. 2. DEUS non
est factus: ergo neque perfectus; quia perfectum
est omnino, & totaliter factum. Resp. neg. con-
seq. Eo ipso, quod sit ens exigens infinitas perfe-
ctiones, non est ens limitatum quoad perfectio-
nem, sed ad summum quoad numerum, quæ
tamen quasi limitatio est summa perfectio; quia
per eam excluditur omne ens æquale. Ad 1.
confirm. dist. mi. principia intrinseca materialia.
conc. mi. extrinseca, seu effectiva. neg. mi. saltem
universaliter sumptam, & neg. conseq. Ad 2.
confirmat. neg. conseq. perfectus enim in sensu
Theologico (quidquid sit de Grammaticali) signi-
ficat præditum perfectione, sive facta aut creata,
sive increata à se.

137. **O**B. 3. Si DEUS continet omnem
perfectionem possibilem, tunc præter DEUM nul-
la est alia possibilis: sed hoc est falsum: ergo. Con-
firm. 1. Si daretur corpus infinitum, non esset possi-
bile aliud corpus: ergo, si detur perfectio infinita,
nulla alia erit possibilis. Confir. 2. Infinitum est,
ex quo semper est aliquid accipere: sed non vi-
detur, quomodo ex Divinis perfectionibus sem-
per sit aliquid accipere: ergo. Resp. dist. ma. si
continet omnem formaliter quoad speciem, &
individuum. conc. mai. si tantum continet eminen-
ter. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. quia tamen
alia in specie, & individuo perfectio est possibi-
lis, quamvis hanc DEUS contineat eminen-
ter.

138. **A**d primam confirm. dist. ant. non esset
possibile absolute. neg. ant. naturaliter. om. ant.
& neg. conseq. Supernaturaliter possibilis est
penetratio corporum, adeoque præter corpus in-
finitum adhuc aliud, quod tamen cum illo debe-
ret supernaturaliter compenetrari: si tamen infi-
nitum impleat omnem locum possibilem, &
supposita possibilitate infiniti, unum infinitum non
posset esse majus altero, de quo litigant Philoso-
phi. Perfectiones autem non se mutuo exclu-
dunt loco. Ad 2. confirm. Illa definitio strictè
loquendo tantum convenit infinito divisibili in
numero, vel extensione; & infinitum aliàs dicitur,
quod superat omne finitum: sed om. ma. neg. mi.
quia saltem per conceptum semper est aliquid ac-
cipere; nunquam enim tot abstrahi possunt perfe-
ctiones ex DEO, quin plures restent abstrahenda.

139. **D**ices. Si DEUS non esset in omni loco
etiam in individuo, non esset inensus: ergo si non
haberet omnem perfectionem etiam in individuo,
non esset infinite perfectus. Resp. retorq. ar-
gum. ergo si non produceret omnem esse-
ctum, non esset omnipotens; quod est prorsus
absurdum. In forma. neg. conseq. Immen-
sitas in suo conceptu dicit formalem præsentiam
in omni loco, in individuo etiam accepto: at
infinita perfectio non dicit formalem possessio-
nem cujuslibet perfectionis in individuo; sed
tantum possessionem cujuslibet eminenter talem:
sicut omnipotentia non dicit actualem produ-
ctionem, sed tantum potentiam.

140. **O**B. 4. Si DEUS esset infinite perfe-
ctus,